

Sumptus testium.

1. Qui in causa capitali evocat testes, is testibus singulis, in dies singulos, quamdiu testimonii ferendi causa à rebus suis absunt, sumptus itineris præstare necesse habet, quorum modus Judici æstimandus relinquitur, qui discrimen personarum omninò observare debet, *Gobler. & Steph. hïc*, Sunt autem sumptus initiò præstandi, priusquàm testes iter ingrediantur, aliàs venire non coguntur, *Zieritz hïc, verb. graviorum personarum*. Adde, quæ habet *Zieritz. hïc, verb. qui testes, & verb. octo numulos cruciatos*.

ARTICULUS LXXVI.

Salvi conductus necessitas nulla.

1. Neutra partium, nullusq; testium coram Judicibus aut Commissariis adversus publicum Judicium salvum conductum obtineat. Ast ne qua eis vis fiat, poterunt & partes, & testes ad Judicium conduci. Vide *Steph. & Zieritz. hïc, & in notis pet. prem. de securitat. promiss. q. 6. ubi tradit; qua forma dari debeat publica fides*.

ARTICULUS LXXVII.

Maturè justitia administranda.

1. Ad evitandas impensas in omnibus publicis Judiciis justitia maturè, ac brevi complemento administretur, nec fraude aliqua, aut dolo protrahatur. Lites olim breves erant, at hodie crescunt, instar hydræ, cujus caput, si detrunctur, septem alia resurgunt, ut *Zieritz. hïc, verb. ad evitandos sumptus* loquitur. Vide *ars. 12. concl. 7. 8.*

2. Justitiam tamen celerius administrando injustitiam facere non debemus; ne nimum properando innocentium sanguine nos maculemus. Quod ratio nequit, sæpè mora sanavit, *Zieritz. hïc, verb. incunctanter*.

ARTICULUS LXXVIII.

Constitutio diei capitalis.

1. Si actor ad accusati confessionem, aut producta testimonia, & conclusionem (ut suprà positum est) petit judicialem & peremptorium terminum, is quidem illi debet impertiri ac intimari. Quod si actor verò hujusmodi judicialem diem non postulat, ea quidem ipsa peremptoria dies ad rei petitionem indicetur, *Gobler. & Zieritz. Steph. hïc*, ubi hic monet, diem nec sacrum, vel festivum, nec Dominicum rectè constitui.

ARTICULUS LXXIX.

Vt reo dies capitalis denunciatur.

1. Triduo ante damnationem denuncianda est executio, quò reus possit in

fit in